

infert:⁸² *Eadem vero patiens et eadem retribuens semper circulo, ita concussum, hinc et hinc effectum ab utrisque respirationem et expirationem fieri praebet.*

Nonne modum respirationis in his docuit Plato clare et aperte, etiamsi metaphoris aliquot sit usus? Et modum, quo servarentur animalium calor et non pedestrium solum, sed omnium animalium, id enim significat cum dicit: τὸ θνητὸν ζῶον, πᾶσι τοῖς ζώοις, πᾶν ζῶον, *mortale animal, omne animal, omnibus animalibus*. Quare ridiculum est cum Aristoteles subiicit:⁸³ *Si enim solis respiratio inest pedestribus, dicenda causa est cur solis? Si vero etiam aliis, modus autem alius, de hoc quoque determinandum, quomodo possint respirare omnia*. Non enim de solis pedestribus Plato locutus est, sed de animalibus omnibus.

Quod autem subdit πλασματώδης ὁ τρόπος τῆς αἰτίας^{xxvi}, *fictivus modus causae*, quia scilicet:⁸⁴ *Accidit ita putantibus prius inspirationem fieri quam expirationem*. Id autem absurdum esse, quia τελευτῶντες δὲ ἐκπνέουσιν^{xxvii} *morientes expirant, ὡστ' ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἀρχὴν ἐκπνοῆς^{xxviii}* *Itaque necesse est esse a principio expirationem*. Nulla autem necessitas cogit facta respiratione iuxta Platonis modum inspirationem priorem fieri expiratione. Imo potius contrarium [348] necesse est evenire. Nam cum ignis sedes plena sit, nullam rem admittit: at loco per expirationem facto alius ingreditur aer eumque replet, quod et ipse

⁸² τὸ δὲ τὰ αὐτὰ πάσχον καὶ τὰ αὐτὰ ἀνταποδιδόν ἀεὶ, κύκλον οὕτω σαλευόμενον, ἔνθα καὶ ἔνθα ἀπειργασμένον ὑπ' ἀμφοτέρων τὴν ἀναπνοὴν καὶ ἐκπνοὴν γίνεσθαι παρέχεται. [PLATO, Ti. 79.e.7 – 9]

⁸³ εἰ μὲν μόνοις [μόνον] τὸ τῆς ἀναπνοῆς ὑπάρχει τοῖς πεζοῖς, λεκτέον τὴν αἰτίαν τοῦ μόνοις. εἰ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὁ δὲ τρόπος ἄλλος, καὶ περὶ τούτου διοριστέον [corr. ex διοριστέον], εἴπερ δυνατὸν ἀναπνεῖν πᾶσιν. [ARIST. Resp. 472b.9 – 12]

⁸⁴ συμβαίνει {δὲ} τοῖς οὕτως οἰομένοις πρότερον τὴν ἐκπνοὴν [εἰσπνοὴν] γίνεσθαι τῆς εἰσπνοῆς [ἐκπνοῆς]. ARIST. Resp. 472b.20 – 21

^{xxvi} ARIST. Resp.472b.12.

^{xxvii} ARIST. Resp. 472b.23.

^{xxviii} ὡστε ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἀρχὴν /Petrić - ἐκπνοὴν - iskrivljuje citat/ εἰσπνοὴν. [ARIST. Resp. 472b.23 – 24]